

accepisset, tamen sibi festinandum existimavit, ut Valerio comiti satisfaceret. His ergo nulla interposita mora respondens, alterum sub eadem inscriptione de Nuptiis et Concupiscentia librum composuit, quem anno Christi 420 adscribendum arbitramur : quippe cum eum confestim post acceptas de priore libro gratiarum actiones scripserit sanctus Doctor, nec videatur verisimile, Valerium, ut hanc grati animi significationem testaretur, totos duos annos aut plures expectasse.

Valerius autem ille, quem Illustris et Comitibus titulo Augustinus exornat, negotiis publicis implicabatur, non forensibus illis quidem, sed bellicis. Unde non facile adducimur, ut cum viro erudito ipsum illum esse existimemus, qui fuit comes rei privatæ anno 425, consul anno 432, denique magister officiorum sub Theodosio juniore anno 435. Etenim nec ea munera pertinebant ad militiam, nec præfectis Theodosianis quidquam erat eum Honorianis commune.

*Vide præterea lib. 2, cap. 53, Retractationum, t. 1, col. 651, a verbis, Scripsi duos libros, usque ad verba, Inter militiæ tuæ curas. M.*

## EPISTOLA AD VALERIUM COMITEM <sup>(a)</sup>,

CUI AUGUSTINUS TRANSMITTIT NUNCUPATUM IPSI LIBRUM PRIMUM DE NUPTIIS ET CONCUPISCENTIA.



Domino illustri et merito præstantissimo, atque in Christi dilectione charissimo filio VALERIO, AUGUSTINUS, in Domino salutem.

1. Cum diu moleste haberem quod aliquoties scripserim, et nulla tuæ Sublimitatis rescripta meruerim, repente epistolas tres tuæ Benignitatis accepi : unam non ad me solum datam per coepiscopum meum Vindemiensem, et non longe post per compresbyterum Firmum duas ; qui vir sanctus, nobisque, ut ab illo scire potuisti, familiarissima charitate conjunctus, multa nobiscum de tua excellentia colloquendo, et veraciter insinuando qualem te in Christi visceribus noverit, non solum eas quas memoratus episcopus, vel quas ipse attulit, sed etiam illas quas non accepisse querebamus, litteras vicit. Et ideo de te narratio ejus suavior nobis erat, quia ea dicebat, quæ ipse non posses, ne quidem me inquirente rescribere, ne tuarum laudum, quod sancta Scriptura prohibet (*Prov. xxvii, 2*), fieres prædicator. Quanquam et ego verear hæc ad te scribere, ne suspicionem adulantis incurram, domine illustris et merito præstantissime, atque in Christi dilectione charissime fili.

2. Laudes itaque tuas in Christo, sive magis in te laudes Christi, vide quid mihi delectationis et lætitiæ fuit audire ab illo qui nec fallere me posset propter fidem suam, et eas ignorare non posset propter amicitiam tuam. Sed alia et ab aliis, etsi non tam multa vel certa, verumtamen audivimus, fides tua quam sit sana et catholica, quam pia expectatio futurorum, quæ Dei fratrumque dilectio, quam non superbæ sapias in excelsis honoribus, nec speres in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, et dives sis in operibus bonis (*1 Tim. vi, 17, 18*) ; quam sit domus tua requies solatiumque sanctorum, et terror impiorum : quanta tibi cura sit, ne quis insidietur membris Christi, coopertus velamine nominis Christi, sive in veteribus ejus, sive in recentioribus inimicis ; quamque sis eorumdem inimicorum providus saluti, infestus errori. Hæc atque hujusmodi, ut dixi, et ab aliis solemus audire ; sed nunc ea per supradictum fratrem plura et testatiora cognovimus.

3. Porro autem de pudicitia conjugali, ut eam quoque in te laudare et amare possimus, numquid audiremus, nisi ab aliquo interiore familiari tuo, qui vitam tuam, non in superficie, sed penitus nosset ? De hoc itaque tuo bono, Dei dono, me quoque delectat familiaris, et aliquanto diutius loqui tecum. Scio me non esse oneri tibi, si aliquid prolixum mitto, quod legendo, diutius sis nobiscum. Nam et hoc comperi, quod inter tuas multas magnasque curas facile ac libenter legas, nostrisque opusculis, etiam quæ ad alios conscripsimus, si qua in manus tuas venire potuerunt, admodum delecteris ; quanto magis quod ad te scribitur, ubi tanquam præsentem loquar, et advertere dignaberis attentius, et accipere gratius ? Ab hac ergo epistola perge ad librum, quem simul misi, qui tuæ Reverentiæ et curæ conscriptus sit, et cur ad te potissimum missus, ipse suo principio commodius intimabit.

(a) Est 200 inter Augustinianas, tom. 2.

